



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ACARIGUARAURENSIS*** IN VENETIOLA NOVA
CONDITUR DIOECESIS ACARIGUARAURENSIS Ad satius consulendum spirituali bono Christifidelium, Venerabilis
Fratr Alexander Figueroa Medina, tunc praesul Guanarensis, audita Conferentia episcopali Venetiolana, ab hac
Apostolica Sede petivit ut quodam distracto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua nova dioecesis conderetur.
Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Andreae Dupuy, Archiepiscopi titulo Saelesiensis et in eadem Natione
Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter
concedendum esse putamus. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus. A Guanarensi dioecesi separamus
integrum territorium municipiorum, quae patrio sermone nuncupantur *Agua Blanca, Araure, Esteller, Páez, San Rafael de
Onoto, Santa Rosalia ac Turén*; atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim *Acariguaraurensis*, quae
iisdem limitabitur finibus, quibus memorata municipia simul sumpta terminantur. Sic conditae dioecesis sedem in urbe
«Acarigua» ponimus, ibique exstans templum paroeciale, Deo dicatum in honorem Beatissimae Virginis « de la Corteza
», ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus, praecipientes ut in eadem sacra aede Canonice
Capitulum, ad normam iuris, instituatur. Praeterea dioecesim *Acariguaraurensis* suffraganeam facimus metropolitanae
Sedi Barquisimetensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore Barquisimetensis subicimus.
Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Ad haec omnia perficienda deputamus Venerabilem Fratrem
Andream Dupuy, quem diximus, vel, ipso absente a sede, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Venetiola,
eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum
in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae
exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse
volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo
mensis Decembris, anno Domini bis millesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOANNES B. card. RE

Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

Apost.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana